

# DE IMAGINIBVS SACRIS, ET PROFANIS

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. D. GABRIELIS PALÆOTI

CARDINALIS,

LIBRI QVINQVE.

*Quibus multiplices earum abusus, iuxta sacrosancti  
Concilij TRIDENTINI decreta,  
deteguntur.*

AC VARIÆ CAUTIONES AD OMNIVM  
generum picturas ex Christiana DISCIPLINA  
restituendas, proponuntur.

*Ad usum quidem Ecclesia sue BONONIENSIS scripti, ceterum bono  
omnium Ecclesiarum nunc primum Latine editi.*



Cum PONTIF. MAX. & CAESAR. MAIEST.  
Gratia & Priuilegio.

INGOLSTADII,

Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.

Anno. M. D. XCIV.




# TYPOGRAPHVS LECTORI S.

**I**LLVSTRISSIMI Cardinalis Pa-  
leoti Commentarium de sacri Consistorij consulta-  
tionibus, Bone Lector, proximè dedimus: Cuius etsi iam antea  
erant aliquot exempla Roma edita, & verò Venetiis eo-  
dem tempore typis recudebantur, argumentum prater ea  
paucos admodum ex instituto lectores respiciebat, neq; plu-  
rimos etiam similitudinis quadam specie, sed hos duntaxat complectebatur qui  
in aliqua alicuius publici consilij parte versarentur, experti tamen sumus,  
idq; pro miraculo admirati, tanto publico omnium plausu fuisse exceptum,  
ut sanè alteri qui ex hac officina prodierit libro concesserit omnino nulli.

Hinc euenit, cum ex quinque libris qui ab hoc ipso auctore de Imaginibus  
conscripsi sunt, priores duo ad nos proximè ab amicis missi delati fuissent, ut no-  
bis neutiquam ambigendum putarem, quin reliquis qua tunc pra manibus  
erant statim amotis, prelum istis vnis vacuum mox destinarem. Certi nos  
eximiam eo facto apud omnes gentes, quacumque Christiana pietatis religio  
& Latini sermonis sonus pertingit, gratiam inituros, atque eam quidem puram  
& illibatam, quod in opere de Consultationibus aliis editionibus praentis non  
licuit. Uberrimam inde auguramur, quod istius commentationis vsus dubio  
procul ad longè plures quam prioris pertinet, plerique quippe, alieni ab omni  
publici muneris officio homines, nulla profecto consulendi necessitate astrin-  
guntur, qui tamen imaginum vsu carere neq; debent neq; possunt, nisi eadem  
opera ex omni religionis, & prorsus humanitatis consuetudine emigrare ve-  
lint. Quam insignitè autem à singulis pænè ordinibus in hoc genere pecca-  
tum, quam etiam peccare tum procline tum periculosum, quantopere porro ne-  
esse sit, non vno modo exolescentem Christianitatis disciplinam, hac potissi-  
mum parte restitui, & sacrosanctum Tridentinum Concilium editis grauissi-  
mis decretis haud obscure indicauit, & Illustrissimus Cardinalis cum cura est  
exequutus. Unum nobis agrè fuit, eritq; tibi mi Lector, quod cum quinque li-  
bros titulus promittat, duo tantum nunc absoluti produnt, reliqui tres affecti  
conceptiq; perficientur & edentur tunc demum, quandocumque auctori à  
publicis





DE IMAGINIBVS  
SACRIS, ET  
PROFANIS  
LIBER PRIMVS.

---

PROOEMIUM.

**N**TER multa, quę à sacro Concilio Tridentino & sapien-  
tissimè, & sanctissimè cōstituta sunt, vt vera in hominum  
mores disciplina Christi induceretur, vel potius vt ad ve-  
terem propriamq; formam, ac dignitatē restitueretur;  
Vnum illud fuit de sacris imaginibus, in quod sacri Concilij Patres  
acrius incubuerunt, cū in eas hac tempestate fallaces duas dæmo-  
nis technas, hominumq; vitia, licet alterum altero grauius irrepfisse  
animaduertent. Primum est hæreticorum, & Iconomachorū, qui  
perpetuum cum imaginibus bellum gerunt, qui debitam illis obser-  
uantiam eripientes, conati sunt eas de locis omnibus deturbare, &  
profligare. Alterum est Catholicorum, qui vsum imaginum reti-  
nentes, illarum tamen dignitatem præposterè affectam procaci ve-  
nustate deformatunt.

Sacrum igitur Cōcilium damnata primū perfidia, & impietate  
hæreticorum, consilia transtulit sua ad Catholicorum abusus sanan-  
dos, & in eam rem magnopere incubuit, & Episcoporum munus hoc  
esse voluit, vt sua quisq; in Dicecesi quàm diligentissimè & Religioni,  
& pudori, & dignitati imaginum cōsuleret. Itaq; Illustrissimus & Re-  
uerēdissimus Dominus, D. Cardinalis Palæotus Archiepiscopus Bo-  
noniensis pastoralis officij munus ipse suum agnoscens, cū intelli-  
geret Dei beneficio necessariam non esse in suo populo primæ partis  
curam, & medicinam, quippe qui vetere maiorum fide, sinceraq; re-  
ligione nixus, nō solū longè abhorreat ab omni hæreticæ prauita-  
tis nota, sed etiā orthodoxam fidem in publicis Gymnasijs, maximo